

Π υ
307



Q. H. 3



Q. N. 355, 21.

DEI ET SUPERIORUM
GRATIA

De

DUBIIS HOMINIBUS IIS,
in quibus

FORMA HUMANA
ET BRUTINA MISTA
FERTUR,

pro obtinendô

apud Inclutam Facultatem
Philosophicam

LOCO

secundâ vice

Ad d. 12. April. Ao. M. DC. LXXIX.

publicè disputabit

M. Gottlob Friedrich Seligmann/
Zittâ Lufatus.

LIPSIÆ,
Literis BRANDIANIS.



13. —

Q 23.



DEI ET PATRI

GRATIA

DUBIS HOMINIBUS

FORMA HUMANI

ET BRUTIA MISTA

PERIT

SPUS INCLINANDI FACIENDI

LOCO

ANNO DOMINI MDCCLXXIX

M. GOTTFRIDUS WILHELMUS

IN LUGDUNO

LIBRIS

LEONIS BEAUBOURN





C. D. T.

Thesis I.



DE quibus dubitatum est inter Eruditos passim, num verè queant accenseri hominibus, homines Dubii dicuntur (α) An monstra ceterùm sint, aut spectra etiam, aut animalium deniqvè certam quandam an constituent speciem, sub initium dissertationis vel ideò adserere non licet, quod ipsi prius veniant considerandi, quò elucescat magis, cur hisce titulis à scriptorum (β) non unò insigniantur.

α) Vid. Schott. Phys. C. P. 1. L. 3. Inscr. p. 388. β) Conf. id c. 1. collatoque Sperlingio Inst. Phys. L. 1. q. 4. & allegat. ib. Plin. Cardan. Scalig. Weinrich. Gaze adjungatur Olaus M. L. 3. c. 11. Dn. Fellerus diss. I. de Satyr. A. 1668. M. 7br. hic hab. Pr. & c. 2. Gesn. L. 4. H. anim. f. 488. aliisq, locis.

II. Si ergò placeat eorum aliquos levi ictu respicere, in sylvas (γ) & mare, (δ) infraque terram, (ϵ) quin Scythicos in campos ad paludes Ægyptò superiores (ζ) qui partes sibi sumpsere historiarum naturæ colligendi, nos deducunt. Nam habent ii, quod locis hisce in omnibus spectandum (η) valeant proponere.

γ) Vid. de habitat. R. Ferlech, qui montana occupant M. P. Venet. L. 3. c. 14. de al. Aldrov. in H. Monstr. inter Sylv. homines Cinnam. quoq, pop. numerans. Conf. Schott. L. 3. Ph. C. c. 9. & l. 38. sub fin. δ) Leg. J. M. Marci. Id. operat. L. 1. c. 8. L. S. ϵ) Becman. Not. O. Geogr. S. 2. c. 9. §. 13. Kirch. M. S. 8. 3. Gvil. Neubriß. R. Angl. Revol. 1. 27. 91. Adde de Virunc. Metall. Diss. Præf. Posn. Jen. A. 1662.

hab. *Integrum de iis Georg. Agric. lib. cuius meminit Morhof. in Coll. quòd. Mss. de Aut. ζ) ubi pugnare grues cum pygm. Aristot. refert H. An. 8. 12. Conf. Plin. L. 4. H. N. c. 11. Pomp. Mela. l. 3. de situ Orb; Verul. de rat. quâdam, quæ edat nanos, vid. Sylv. Sylv. C. 1. f. 759 η) ad promovendum experim. finem, quem in confic. axiom. ponit Id. Verul. de H. N. confic. A. 2. f. 422.*

III. Sed intra terminos me retinet angustiores, quod minus favet, tempus. Nec agere de omnibus permittunt turbæ, quibus huc illuc avocor. Eorum ea propter subsistendum tantum est in contemplatione, in quibus mista fertur humana & brutina forma. Non, quod facillimè explicaturum me confidam tot tantarumquæ difficultatum phænomena, quibus & haud parum est obscuritatis (θ); Nam scio, quàm exigua hæ sint viriculæ: Sed ut sic ansa detur doctioribus, hæc plenius me informandi in materiâ.

θ) *Vid. Marc. Jd. oper. c. 8 P. 1. sub. init. L. 7. & poteris fortean, si libet Becher. conf. Phys. S. 1. 4. 1. de subterraneæ mixtion. obscurit., huc adplicare.*

IV. Proin, quòd suppetat, ubi mens figi possit, in quibus admirentur Physici talis modi misturam, videndum erit (ι). Sunt vero equi, asini, capræ, canes, è quadrupedum numero, de quibus legimus quòd misceri ipsorum cum humanâ formâ queat; orienturque inde Hippocentauri, Onocentauri, Satyri, Cynocephali (κ).

ι) *Hist. en. Nat. veræ & activæ Phil. solida & æterna basis constituitur. Vid. Verul. descript. Glob. Intell. c. 3. f. 607. κ) Catalog. hunc è Schott. petimus Phys. C. p. 389. 396. 418. Teutschen Secret. P. X. Ep. 32.*

V. Centauros ut noscamus, Onocentaurum Æliani ductu (λ) delineabimus. Sic enim poterit mutatis immutandis, Hippocentauri quoque constitutio cognosci. Fertur (μ) autè illa primum ore, collò, pectore, humeris, brachiis, cubitis, manibusque (quibus imprimis etiam locò pedum uti novit, ne ceterorum superetur quadrupedum celeritate) homini similis. Dorsò, lateribus, ventre, posterioribus pedibus, asino. Cinerei dein coloris esse dicitur & leviter ad latera, imum
ven-

ventrem exalbescere: Gravi demum animi (ν) acerbitate animal nuncupatur, cupidumque libertatis, quam vitæ præfert. Dum enim illam desiderat, ab omni abhorret cibò, fameque sibi consciscit mortem.

λ) *H. Var. L. 17. c. 19.* μ) *Pythagora, ut testatur Crates ex Mysio Perg. penes Ælian. c. l.* ν) *Ita loquitur cit. ille Ant. ap. Schott. p. 393.*

VI. De Satyris adsunt prolixiora. Sed rem expedivisse paucis, nunc quidem satis fuerit. Plinii igitur (ξ) descriptio facit *Satyrum*, animal quadrupes in subsolanis Indorum montibus perniciosissimum, humanâ effigie, sed pedibus caprinis & toto corpore villosum, nihil habens moris humani, gaudens sylvarum latebris (\omicron) & fugiens hominum commercia. Quæ convenire pleraque satyris, qui hodie dum conspiciuntur, Fellerus (π) Noster adnotat, ac fieri observat posse, ut velut alii in animantium speciebus, ita hic quoque figura sive accidentium quorundam sit discrimen. Sicque satyros nunc caudatos, nunc sine caudâ conspiciari liceat: sic asperatam cornibus frontem, ei, quem Antonium vidisse scribit, adsignet Hieronymus (ρ) in vita S. Pauli, primi, ut vocant (σ), Eremitæ, & non cornuios dari quoque, alii adfirment (τ).

ξ) *L. 7. c. 3. quò quid desideret in locò Tulp. Scab. & Med. amstel. obs. Med. L. 3. c. 56. p. 247. seq. vindic. invenies in cit. Dn. Felleri diss. c. 2. o* Ita *Algothus* famâ observaverat nonnullos generis monstrosi homines, quos *Menningos* vel *sylvarum Satyros* vocabant in locis in viis mansionem complexos ap. *Olaum M. H. L. 3. c. 11. π* c. l. ρ) c. 7. cum præc. c. 6. narrasset visum ab *Antoniò hippoc.*, qui & *Satyrum* hic vidit, cumque eò locutus est. σ) *conf. Schott. c. l. Marc. L. 1. Id. oper. Nn. 3. τ* Vid. iterum *Feller. c. l.*

VII. Sunt vero etiam in Indicis montibus *Photiò* (υ) ex *Ctesia* *Gnidio* memorante, caninò capite homines (ϕ), qui ferarum pellibus vestiantur sermone hos uti nullò ille adserit, canum tantum more latratum edere, atque ita sese mutuò intelligere. Dentes illis esse, quam canibus, majores & caninos similiter ungues, sed longiores ac rotundiores. Intelligere quoque, quæ ab Indis dicantur; latratu, manibus & digitis signa dare; totiusque gentis capita numerari ad centum & viginti millia. His *Cynamolgos* non abs re erit adjungere; qui rictus caninos

habent & prominula ora (χ). Cynoprofoporum Ælianus (ψ) meminit, eosq, advertit, ad spectu nigros esse, capite & dentibus canes.

- v) in Biblioth. s. de reb. & Mont. Ind. cit. Schott. Ph. C. p. 418.
ϕ) libet & horum meminisse, cum de variâ humane nat. cum brut. mist. agent. Marc. χ) Solin. in Polyhist. c. 43. loqv. de pop. Æthiop. ψ) L. 10. de anim. c. 25.

VIII. Ad pisces progredior; Tritonesqve (ω) considero, quorum non admodum clarum adferre rationem piscatores possunt (α). Dicuntur tn. à superiori parte ad umbilicum usq, hominem; piscem referre ab umbilicò usque ad caudam: capitis comam palustri apio persimilem esse (β), tum colore, tum quod capillum nullum possit ab aliis discernere; reliquum corpus squamâ inhorrescere minutâ, sed eâdem propè, quâ limam: duritie; pinnulas ipsis esse sub ventre & pectore pro pedibus. Et folere rapere eosdem, mulieres solitarias, quæ in littore versantur, non tantum Alexander (γ) ab Alexandrò narrat, sed & Pausanias, (δ) qui etiam in natantes Tanagraeorum primarias matronas, arcanis Liberi Patris initiatas, Tritonem impetum fecisse, observavit.

- ω) i. c. pisces hominiformes, Schott. p. 400. α) Gesn. L. 4. H. anim. f. 998. ex Ælian. ib. alleg. β) Vid. ap. Schott. p. 401. Pausan. verba prolixiora. Ut & ap. Gesnerum c. l. γ) Dier. Gen. 3. 8. δ) c. l. Triton inde ceu Satyrus quidam marinus depingi potest. Conf. Gesn. l. 4. H. An. f. 998. de idolo Triton. aut Syren. Michaël ad curios. in aud. Gaffar. p. 41.

IX. Piscem Monachi habitu in Norvegiâ procellosò mari captum describit Rondeletius. Humanâ facie videbatur, capite rasò & levi, humeros contegebat Monachorum velut cucullus. Pinnas duas longas pro brachiis habebat; pars infima in caudam desinebat latam, media multò erat latior saxi militaris figura (ϵ) Huic respondet parte aliquâ Episcopus marinus, de quò scripsit Gilberto Cornelius Amstelod.; cuius corporis magnitudo, facies ac cultus talis erat omninò, qualem videmus Episcopi alicujus Romani; parili mitra adparebat, nec disparibus omninò ornamentis aliis (ζ).

- ϵ) Gesnerus L. 4. H. anim. f. 488.; qui similem fere iconem Ge. Fabric. ad se misisse scribit. ζ) Id. l. c. Gilbertus Ao. 1531. in Po-

in Polon. visum esse id Monstr. Mar. & ad Polon. R. delatum referente ibid. Rondel. conf. de hoc pisce Mich. Not. ad Gaffar. p. 144.

X. Nereidibus seu Nymphis absolutissimam hominis faciem esse, fertur usque ad femora; cum reliquum corpus non absimile caudæ sit anguille (η). Sirenes autem ita describit societatis Jesu historia (θ): Caput est figurâ rotundum, nullâ colli intercapedine trunco compactum: extrema aurium fibra, quæ & auricula nominantur, ex cartilagine carne eleganter vestita, quarum interior pars aptissimis formata anfractibus, veram hominis refert aurem, Oculi suis ornatæ palpebris; Sitque & colore non piscis sed hominis judicares. Nasus non nihil aberrat, sub eò verò labra magnitudine specieque nostris simillima. Dentium non serratiliū, sed planorum continua series. Pectus albâ cute contectum, hinc atque hinc paulò latius, quàm pro corpore, in mammas extuberans, quales virginibus sunt, globosæ. Brachia latiora sunt, quasi ad natandum facta. In administris propagandæ sobolis membris utroque in sexu, exterius interiusque nulla ab humanis distinctio. Post hæc, in piscem cauda desinit bisulca. Ad littus Goanum tales conspiciuntur. Plinius tamen squamis obsita esse Sirenum dum dicit corpora, necesse est ipsas à jam descriptis non nihil differre.

η) Theod. Gaza ap. Marc. Id. Op. lit. Oo. θ) P. II. L. 4. referente eòd. Marci c. I. non abs re erit fortassis, conferre hic quæ de iis & fig. Dagon. adfert Michaël. Not. ad Gaffar. Curios. inaud. p. 43. & 49. de Sirenum fabulos. vid. Verul. sap. V. c. 31. f. 1292

XI. Sirenes etiam avium in censum veniunt; hinc malè pisces dici, quibusdam creditur, ortumque trahere, quod hinc committi putant peccatum à pictoribus, ex Ovidii illò, quò *Monstra maris* vocantur *Sirenes* (ι). Sed forte non repugnat & natatiles esse & volatiles Sirenas. Natatiles modò depictas vidimus. Volatiles tamen statuunt, Theopompus, Isacius, Isidorus ap. Laur. Baeyrlinck & Nierembergium (κ). De ceterò Alexander Benedictus de curandis morbis mulierum (λ), quibusdam, inquit, in locis superfoetant mulieres animal dirum, & pariter edunt cum humanò partu harpyie formâ. Vivere subinde eas dicunt & per cubiculum volitare. Quæ nec invitò scripta

scripta sunt Dominico Leone (μ). Ut iaceam quæ Petrus Damianus refert, de anserinò collò & capite Filii, quem Robertus Gallorum Rex ex propinquâ sibi copulatâ uxore suscepit (ν).

i) *Evolv. Gesner. L. 4. H. An. f. 879. it. Aldrov., Nieremb. ap. Schott. p. 410. conf. Suidas in voc. Σειγῆνας Syri dicunt esse ut cygnos, Mich. ad Gaffar. p. 42. κ) penes hunc quid. L. 5. H. N. c. 13. Vid. cet. Schott. p. 409. λ) L. 25. c. 36. μ) art. Medic. L. 6. c. 2. ν) Vid. Alleg. ap. Marc. T. t. 1.*

XII. Nolo pluribus recensendis immorari. Nam dicendum nunc potius, quid statui opiner de iisdem posse; dum sic habent Autorum sententiæ, ut ab unò adferantur, quæ refutat alter. Ita Centauros negat Philosophicus Poëta, pernegatque (ξ); nec putat fieri posse, ut

*Esse queat duplici naturâ & corpore binò
Ex alienigenis membris compacta potestas.*

Et, quò magis ad Philosophicas rationes attenderunt aliqui, eò persuasum sibi habuere minus, Centauros dari (θ). Quin, cum fictarum rerum, aut impossibilium mentionem in iciunt, hippocentauros non paucinominant (π). Adeò est penes plurimos, si non fixum, certè probabile, quod *omni cerâ flexibilior & ad fingendum habilior fama illos finxerit*, & loquitur fat dubiè hic *judicans*, judicante Schottò (ρ), Ælianus (σ). Interim, quæ Plinius, Phlegon Trallianus, Cæsaris Hadriani Libertus, Pythagoras, Nierembergus, ajant, obvia sunt. Videre scilicet Centauros aliqui, de iisdem aliqui audivere, referuntque relata (τ) Satyros autem existere nec omnes credunt, quibus delineari per eosdem externâ forma & anteriori parte homines, ceterum bestiis non ab similes, consonum veritati magis videtur, quam eos revera esse si dicas (υ). Sed nec omnes tamen de iisdem dubitant, quod possint aliqua saltem fictitia immixta deprehendi, nec non glaucomata Satanæ; quæ inter forte haud præter meritum refertur, is, quem Antonius vidit, dicente Hieronymò, & loquentem audivit, cupientemque pro se ad Deum effundi preces (ϕ). De Cynocephalis & aqvaticis denique ac mixtis avibus Autorum opiniones inqvirenti & negantes iterum & dubiè pronunciantes (χ) occurrent; at & adfirmantes tamen (ψ), aut nec inter ἔργα nec Πάρεργα naturæ verum Satanæ recensentes eadem terriculamenta (ω).

ξ) L. 5.

ξ) L. 5. Rer. nat. & L. 4. Præced. ο) Conf. Salmuth. in Panciroll. de Equo p. 470. seqq. ibiq; vid. pictur Zeux. è Lucani dial., qui Zeuxis inscribitur. π) Cic. L. 1. Tusc. quest. Galen. L. 3. de usu part. August. L. 18. de C. D. c. 13. ς) c. l. p. 391. σ) L. 17. c. 9. conf. quæ de Nesso Centaurô refert J. Schef. de Milit. Nav. Vet. L. 1. c. 1. p. 2. It. de Consultor. ac ductor. Principum Salmuth in Pancir. c. l. τ) Schottus c. l. à p. 392. Conf. Textor. officin. & Theat. hist. L. 2. c. 39. p. 133. υ) Vid. den Deutschen Secretarium Norimb. excus. P. 10. Ep. 32. φ) Evolvatur Dn. Felleri dissert. c. 2. & adserentem quoque Satyros vid. Dn. Garmann. de Mirac. Mort. L. 1. T. 1. c. 28. Majol. T. 1. Colloq. 2. p. 81. χ) Conf. Marci Ideas operatr c. l. lit. Oo 3. & Morhof. dubiè loquitur in Collegiô de Autor. Mss. de Cynocephalis nec adeò certi quid decidit. Schottus; potius monstruosos homines varios dari adserit. c. l. p. 421. ψ) videantur, quos superius allegavi autor. & Plin. Cardan. & c. ω) Sperling. instit. Phys. L. 1. ad Pr. 15. 4.

XIII. En vero ita adumbrata saltim si paulò curatius inspiciantur & perpendantur, determinatio Eecmanni (α) colligens ferè omnes alatos supra titulos atqve colligans, quàm congrua adpareat: Aut fuisse monstra humana individua alicubi conspecta, sive ea ex nefariô concubitu hominum cum bestiis, sive ex aliô quôvis nature àμαατηματι genita fuerint; aut fuisse spectra diabolica, quæ hominibus subinde eâ formâ adparuerint; aut species brutorum simias, sive lesve bestias, quæ aliquâ ex parte ad figuram corporis humani accedunt; aut fabulas & otiosorum hominum figmenta. His enim exhauriri poterit, quod olim ab autoribus antiquis, aut testibus autoptis hodiè relatum dubium moveri possit. Paracelsi namque quatuor genera hominum (β) quæ Deus præter homines Adami posteros carne, ossibus ac ratione instruxerit, ac in singulis elementis collocaverit, in terræ visceribus Pygmæos & Gnomes, in aquis Nymphas & Undenos, in aère Silvanos & Melusinas in igne Vulcanos & Salamandras; Et incertum esse, cui horum generi vera fides in Deum sit data & via ad salutem patefacta; judicante eòdem, sunt omninò luxuriantis ingenii suavia somnia.

α) Notit. O. Geogr. S. 2. c. 9. J. 12. de Charact. ext. Gent. Conf. Mich. Not. ad Gaffar. p. 42. β) Ep. ad Ath. sive de

B

occult

XIV. Determinationi autem isti nescio, annon omnes sint subscripturi? Amplector eam. Primū enim certè docuit detestanda nefariorum hominum libido, naturam etiam ad ea cogi, a quibus abhorret. Habet Plutarchus in Symposiō sapientū in domō Periandri illatū infantem ex homine (quem certè ob hoc ipsum maxime abominandum factum, bestiam rectius nuncupaveris) & eqvā natum, cuius caput collum & manus hominis essent, cetera eqvī. Sic & in Parallelis suscepisse (ô scelus!) Fulvium Stellam puellam ex eqva; ut ex afinā talem tulit Aristonymus Ephesius (γ); quem hinc pessimi quis neget mereri nomen?

γ) *Lege de his omnibus, si lubet, prolixius agentem Joh. Marcum Marci Id. operatr. Lit. Kk_e*

XV. Horreo plura dicere. Junxit enim hominem & hominem Deus, ut humanum propagaretur genus (δ); at jungere se oppositæ speciei, cui ratio deest, is non veretur, quem ratio propinquior Deo reddit. Certe ideo inter maledictos numeratur in divinā legē (ϵ), mortique cum ipso brutō (ζ) addicitur (η). Quò tamen tendis libido vesana? Eò scilicet, ut & ipsam evertere velut coneris naturam (θ). Nam animam homini debitam à brutis nec dari posse nec recipi (ι) videtur; num ergo eam vel ex iis quærere vel ipsis tribuere velle, par est? Imò non tantum non par est, sed & ἀδύνατον fortasse dici debet. Nolo urgere multis; quod operationum oritura sit diversitas è diversis adeò Parentibus (κ): nam posset regeri, quod anima quidem sibi relicta diversum adpetat ab alterā anima; non item cum à communi specie simili modō corpus adficitur (λ): Nec inæquali in hærebo gestationis tempore (μ), cum queat fortè in concursu tali, alterum semen, quò minus tam subito compleatur, impediri, alterum ad ortum velut anticipandum aliquantum cogi (ν) Maxima in animā est manetque difficultas, de qua dispicere nunc huius loci foret; nō gravius his humeris adpareret onus; & satius de his tacere crederem, quàm multa loqui.

δ) *Gen. I. 27. 28. II. 18. 21. 22. ϵ) Deuter. XXVII. 21. ζ) Anproprie dicta pœna sit, litigent cum Grotiō, quibus de Moralitate prolixius inquirere cura est. Conf. interim ipsum de*
J. B.

J. B. & P. L. 2. c. 21. §. 11. si praesuppositum verum est, forte & Thes. inde deducta non erit absona. η) Levit XX. 15. θ) Conf. Rom. I. 26. 27. Dannh. Hodof. Ph. 17. p. 521. ι) Loquor distinctè ob distinctas quæst. ap. Schottum L. 3. Phys. C. P. 1. c. 5. §. 1. 2. κ) huc exemplum in Marci Id. Lit. Kk legendum trahi potest de animâ lupi & ovis si misceantur, hac visô lupô fugam adornari cupiet, illa familiaritatem quæret. λ) Ita respondet idem paulò post. μ) æquale ad misionem tempus requirit Aristoteles de Gener. & corrupt. C. 10. L. 1. sed de eò loqui dicitur, quod sit ἐπιτὸ πολὺ ap. Marc. cit. l. ν) Ita iterum respondet Marci modo allegat. loc.

XVI. Sed video tamen de eadem re & alios locutos, legoquè in utramque partem ventilatas rationes, vel tribus igitur, quod dici queat adferam (ξ). Creationis aut infusionis animæ hypothesis, quibus aridet, concedunt, posse fieri, ut sola anima sensitiva, quibusdam ex his monstris (utinam nunquam visis, nunquam videndis!) insit, nonnullis superveniat rationalis. Et quidem, cum anima sensitiva hominis in tali corpore prædominetur alteri, tum signaturas humanas (ο) determinare causam primam, ad ultimum hominis complementum: si tamen prævaleat vis formativa bestię primariasq; suas inducat signaturas, in bestiam terminari generatum, quantumvis referat humani corporis lineamenta (ε).

ξ) Lege Schottum cit. hæc. loc. Marci Id. P. 1., tot. c. 8. quæ in eisdem de Problem. illò: an ex homine & brutò generari possit homo, Jene hab. pro locò à M. Chr. Hoffmanno Ao. 1671. dissert. ο) signaturæ ex primariis vite organis estimanda veniunt, & verisimile est Joh. Marco Marci c. 1. ad cor eas pertinere. Meminit etiam signaturarum Cart. P. 2. Ep. 40. ε) diversarum specierum semina ita misceri, ut tametsi proprietas naturæ & corporis lineamenta ex utròque duci videantur, ab unius tamen animâ, quæ centrum tenet evolutionis corpus inde constitutum regatur, qui autor nunc allata est sententiæ Marci opinatur tum in Ideis Lit inprim. Mm. tum in Phil. Vet. restit. P. 3. subs. 4. edit. Lips. p. 383. sq.

XVII. Quomodo illa se habeat deductio, meum non erit judicare, tanti cum viri sit (σ). De hypothese tamen non possum non fateri quod & à Theologis Nostratibus plerisque & Philosophis explosa (τ) dudum inveniatur. Juxta eorum ergo mentem, qui traduci adplaudunt, si dicendum quid est; putarem ante omnia requiri quandam, quâ semen sibi utriusque Parentis respondeat, proportionem. Est enim tertium è duobus generantibus tanquam causis sociis constituendum (υ). Qui fiet illud, nisi conglutinatis utrorumque modò debitò seminibus (ϕ) Quod de adeò adversis sibi aut à se diversis saltim vix est cogitandum. Inprimis cum nec adsit receptaculum conveniens; non autem soleat quælibet anima, quodlibet corpus ingredi. Hinc generationem quidem, cum experientia de eadem testetur, invenio, sed monstruosam; qua non adeò ex naturis, quam à naturis, ut Sperlingius autumat (χ) producatur foetus. Proderint ergo fortean hòc modò, quem nominare expavesco, si fuere, centauri; de Satyris, utut non omnibus, certè quibusdam res clarior est, vel è gentium, inter quas reperti sunt, lascivia, ad quam non nemo provocat, qui monstrum Cataloniae septiceps sibi declarandum sumpsit, quod montana Cerdagma Ann. huj. sec. 54^{tò} exhibuere (ψ)

σ) *Quanti illum aestimaverint ipsum illustr. Henr. & Car. à Fris. vid. Praef. Phil. Vet. Rest. ad Lect. τ) Lege B. Dannh. Hodof. Phæn. V. p. 524. Hæpfn. L. Th. VIII. 16. Dn. Thomas. pecul. diss. de Orig. An. H. A. 1669. hab. υ) Conf. Sperl. Inst. Phys. p. 279. ϕ) Dn. Thoma. S. IV. de Orig. A. §. 18. χ) c. l. L. 1. q. 15. ψ) de Centaur. adserit generationem talem Pind. cum Schottò ego dubiè loquor c. l. p. 415. de monstrò Teutscher Secret. P. X. 31. en experientiam! ad quam in Thesi provoco.*

XVIII. Festinò ad alterum determinationis membrum; his enim, iis licet immorandum paulò fuerit, materiâ sic requirente, vereor plura addere; Interim ut ne novis talia confirmari vel legam9 & audiam9 experimentis, precari mecû suscipient, quibus quæ ordinavit Deus, servari curæ est. Monstra aggredior, i. e. hîc quidem, eos homines, quibus addita aliqua pars scribitur, quæ bestiis aliis competit. De Cynoccephalis supra egimus, quorum uti nondum probata gens tam ampla est (ω) ita in ipsis, si qui sunt perfectâ effigie hominis, nisi caput canino esset

esset simile (α), haud observasse consuetum generationis tramitem naturam, adparet. Dantur alias etiam acephala, polycephala; infantes cornuti ore patulo, elephantinò capite pueri, puelli facie ranæ; Ut taceam membrorum aliorum fœdam constitutionem (β). De causis horum si prolixè dicendum foret, ut variæ sunt, ita & temporis, quò jam excludimur, non parum requirerent. Dat Aldrovandus tamen (γ) primum locum generantis debilitati; Nec fortè malè: nam prout nunc hæc, nunc illa portio feminis non benè adfecta est, ita nunc in capite, nunc aliis membris oritur monstrositas; fitque eò major, quò major fuerit dictæ debilitas virtutis. Nolim tamen etiam in dubium vocare Phantasiæ vires; de quibus Aldrovandus iterum testetur, quid valeant (δ). Bononias refert uxorem pharmacopolæ puerum angvinò capite peperisse, quod gravida angves excoriatos & aëri expositos in vicinis ædibus per fenestram observans, vehementiùs adpetivisset. Auderem & illud adfirmare, quod Cynocephali ex Cynocephalis prodire possint, quia vix ambigo, quin generantes, quam habent ipsi monstrositatem, sint fœtui quoque aliquando impressuri.

ω) *Dubitat Schott, c. l. p. 421.* α) *quales describit in quibusdam Insulis habitantes Marci, Ideis lit. Oo* β) *Mirabil. Monstror. tot. libr. V. Phys. Cur. Schott. complectitur.* γ) *ap. Schott, c. l. p. 737.* δ) *ap. eundem p. 738. Conf. 739.*

XIX. At & de his satis nunc dictum esto. Quid Satanæ præstet astutia jubet ordo contemplari. Sed tanta ea est, ut indicari quidem, delineari non possit. Dæmonum, inquit Casaubonus (ϵ) unicum studium est, mendacia cujuscunque generis pro veris ingerere, & omnibus modis in hominum animis illa firmare. Producit hominem cornutum Franciscum Trovilluvium suò tempore ad Christianissimum Regem deductum, quem & pro Satyrò circumductum esse fertur (ζ); eòque ostendit ipso, quàm soleat in his præcipuè phænomenis deludere homines mille fraudum artifex; Cum, nisi majore impediatur potestate, possit, quàm velit, adparere formâ (η) Ac proin in anthropomorphorum numero nulla erit, sub cujus schemate pessimus simulator latere nequeat. Quid si etiam tale spectrum piscem Monachum & sacerdotem diceremus?

ϵ) *De Sat. Poës. L. 1. p. 41. sqq.* ζ) *Conf. Dn. Fell. diss. de Sat. c. 2. l.*

c. 2. l. H. ubi Thuani quoque & Cluveri meminit de isto homine scribentium. η) Del Rio L. 2. Disquis. Mag. p. 28. f. 3.

XX. In speciem brutorum etiam Satyros quosdam refero, Tritones & Sirenas. Quod ad Satyros, præeuntem habeo Dn. Fellerum, qui ex Hominum quidem, uti fas est, censu ipsos ejicit, interim aliquos animalibus accenset, putatque cum Solinò, quod & supra dictum memini, ad simiorum ipsos constitutionem accedere (θ); quemadmodum idem cum Aristotele, Pliniò aliisque aliter paulò, ac factum, descriptos iis accenset Cynacephalos (ι) Sirenes ceterosque pisci homines aliquos, utut alium mixturæ modum se ostendere posse arbitretur (κ) ideam tamen sui corporis humano adsimilis ex sua natura non insitionis beneficio obtinere pro veri simili habet etiam Marci; cujus idcirco alteram rationem non attendo; uti nec in avibus declarandis, tam eam, quam abominari decet, quam alteram adsumere, quæ formæ aliquid superstitis cum alimentis inseri humanæ naturæ posse credit, ut ranæ, pisces, serpentes, in eandem, procul dubiò putat irrepisse (λ).

θ) *cit. Diss. c. 2. ι) Gesner. H. an. L. 1. sub. sim. f. 859. κ) Id. Lit. ff. 3. λ) Id. Lit. Tr.*

XXI. De fabulis dicere nil attinet; hoc certum est, multum iis ab antiquioribus tributum fuisse; neque satis ab iisdem sibi hodie dum cavere omnes posse. Quæ causa est, cur certò historias adsumere non ausus fuerim. Id tamen declaratæ aliquantum Becmannianæ determinationi subjicio, quod veri homines dici non possint, quos dubios inscripsimus. Humanam enim licet formam gerant; id tamen ab iis, quod hominum est, alienam esse deprehendetur. Si quæ re propius accedunt ad homines, id non mirandum adeò, cum bruta sæpius mentiri rationem videamus. Miramur interim eos, quos sistit natura; pavescimus imò vomemus iterum iterumque, ne veniant conspiciendi considerandive, qui bestialibus hominum moribus debeant ortum. Videndum interim fuit, quid judicarent Autores, aut quid judicari posset, cum jusserint eò intendere quoque mentem historia. Sicubi erravi, homo sum. Veniam ergo dabis L. B. & quæ desiderio Tuo non respondebunt, boni consules. Deus Te servet! Servet Patronos, à quibus porrò dirigar & erigar; Servet Bonos Omnes! & erit ejus Nomini

Numinique

L. H. E. G.

E H I M E T P.

1. Essentia & existentia à se mutuò separari non possunt.
2. Si penetrasset rarefactionem ac condensationem Kergerus, de Ferm. l. 9. non statuisset penetrationem Dimensionum.
3. Nisi Scriptura repugnare videretur, telluris motum obtinerent, qui Copernico favent.
4. Haud desunt iis rationes, instrumentales inter habitus qui non numerant Logicam.
5. Nec ut species & species, nec ut pars Generalis & specialis differunt Ethica & Politica.
6. Inter Regulas Cartesij Ethicas prima, saltem quatenus religionem eam præfert, in qua quis est ab ineunte ætate institutus, nequaquam est probanda. Conf. Diss. de Meth. p. 16.
7. Verè Gramondus, de historiis imprimis præstigiatorum; Supra captum positus de est per sæpe fides, unde decedit scribenti autoritas Hist. Gallicæ L. 1. sub A. 1610. p. 22.
8. Et benè idem: Alè securus est, qui tempestivè metuit cit. Lib. sub A. 1613. p. 36.
9. Animi perturbationibus oratio & consilium amici optimè medetur. Conf. Cominæum, ibique quid in Carolò Burgundò desideret; L. 7. p. Edit. Hannov. A. 1606. 560. 561.

FINIS.

QX
Tu 307

QVære homines dubios; per me
licet: Invenit ast Te
Hic hominem Sophie non dubi-
dum Ipsa Suum.

*Prolixiori affectu quàm versu
scrib.*

D. VAL. ALBERTI.



MC

1017



Pom II h 307, 124

ULB Halle

3

003 336 379





Q. N. 355, 21.

D

DUBI

FORM
ET BI

apud

Ad d.

M. Got



IS,

NA
TA

ann/

Q 23.

